



**Magna Gloria Antiquæ & Novissimæ Domus  
Schwarzacensis A Magno Sacerdotio Sive Vita & Res  
Præclare Gestæ ... DD. Abbatum Celeberrimi &  
Antiquissimi Monasterii O. S. B. in Münster-Schwartzach**

**Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>  
Wirceburgi, 1743**

Georgius Abbas XLIV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64362](#)

administrâsset; annus regiminis 2dus Christi  
1505. Vitæ postremus fuit.

## GEORGIUS ABBAS XLIV.

Ab obitu Pauli Abbatis inter Georgium Fretz Priorem, Nicolaum Scholl Cellæ, & Nicolaum Unrufe Culinae Præfectos, qui pari suffragiorum numero gaudebant, lis exorta fuit, quis è tribus aliis præferendus esset? neque tam facilè dirimenda fuisset illa, nisi Laurentius à Bibra Episc. Wirceb. in quo Conventus omnem spem dirimendæ litis posuerat, hanc rem composuisset, & Georgium Wolffsbach Coriarii Wirceburgensis filium in Monasterio S. Stephani Profestum Abbatem Monasterio imposuisset. Huic Episcopi Wirceburgensis Consilio, licet & inexspectatum & ingratum Schwartzacensibus accideret, contendentibus suam mentem non fuisse, ut externus præficeretur; pro sua tamen erga Wirceburgenses Episcopos semper habita reverentia Monasterium nostrum acquievit. Georgius ergo Abbatis insignibus condecoratus gregis sibi commissi curam in se magno animo suscepit, & quæ erat illius dexteritas in administranda re familiari planè

planè singularis, suorum ita utilitatibus consulebat, ut magnam debitorum partem, quibus obstricti erant, exolveret, expuncturus planè omnia, nisi rustici belli tumultus saluberrimis his consiliis moram injecissent. Cùm enim agrestes hæ copiæ in Universam Germaniam male debacharentur, arces Principum & præcipue Religio-  
forum cœnobia diripiendo, nostrum etiam Monasterium variis modis infestare cœperunt. Coëgit quidem Abbas Georgius consulto priùs super ea re Conrado Episcopo omnes ad se subditos suos, eos perquam humaniter ad servandam pacem multis & gravibus verbis cohortatus; at emollire asperos animos non valuit; magno proinde agmine rustica turba Monasterium invadens clamore incondito non sinè minis gravissimis claves ad cellam Vinarium extorquet. Potatur; dum Vino obruti plerique per Monasterium protensi jacerent, cæteris intempestâ nocte januas effringentibus cum tanto religiosæ familie terrore, ut alii se per murum præcipites darent, alii mortis metu eorum se confortio aut fraternitati, ut dictabant, adjungerent. Abbas ipse clam se fugâ subduxit in Gerlachshausen positis priùs

F 3

supra

supra mensam aureis nonnullis, opportuno Consilio; Vix enim satis temporis nactus fuisset fugiendi, nisi projectis his aureis lites & jurgia ipsos inter rusticos excitasset, diu quâ asperis verbis quâ verberibus multò asperioribus disceptantes, quid quisque ex auro auferret. Iniverunt deinde consilium rustici Monasterium accendendi, igneque sacris tectis festo SS. Philippi & Jacobi injecto Ecclesia, pretiosa Virorum Principum anathemata, sanctorum sacra lipsana, Monasterium, exquisitissimi libri incendio perierunt; cum tanta Georgii Abbatis consternatione, ut Norimbergam cum paucis suo ex grege mutato habitu fugitivus contenderet. Unde non multò post, festo nimirum Pentecostes sanguinariâ hac cohorte partim cæsâ, partim dissipatâ (in solo agro Wirceburgensi supra decem millia occubuisse ferruntur;) ad Monasterii rudera rediit cum suis triennio in Stadel-Schwartzach & in Domo Parochiali in Gerlachshausen commoratus, dum piorum liberalitate adjutus novum sibi Monasterium excitaret. Cœterum Georgius Abbas hac subditorum perfidiâ itâ exacerbatus fuit, ut in Reverendissimum Episcopum Wirceburgensem

sciri

et T

varia

varia Monasterii jura & advocatias transferre decreverit, nisi idipsum sapientissimus Episcopus pro incredibili sua moderatione dissuadens monuisset: tueretur potius sollicitè antiqua sua Privilegia, se quidem Schwartzacensis Cœnobii de Ecclesia sua Wirceburgensi optimè meriti commodis pro Viribus suis magis semper magisque prospecturum. Georgius tot exantlatis periculis laboribusque felicissimam mortem oppetiit Calendis Maji anno 1535.

## SÆCULUM VIII.

*Ab Anno 1515. ad Annum 1615. ornatur ab Abbatibus 7.*

Joanne, Nicolao, Leonardo, Wolfgango,  
Joanne Burckardi, Joanne Krug,  
Joanne Martino.

JOANNES Büttner h. n. III.

ABBAS XLV.

Prioris officium cum Summa Abbatis dignitate commutavit Joannes anno 1535. natus in pago